



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

**Parisiis, 1644**

Concilivm Mogvntinvm In Causa Ottonis Comitis Ab Hanistein  
congregatum anno Domini MXXIII. tempore Benedicti papae VIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15625**

<sup>a</sup> CONCILIVM AQVISGRANENSE,

ANNO  
CHRISTII  
1022.

QVO CONTROVERSIA INTER PILIGRINVM archiepiscopum Coloniensem, & Durandum episcopum Leodiensem, de subiectione monasterii Burcitani terminata fuit anno Domini MXXII. tempore Benedicti papæ VIII.

NOTA.

<sup>a</sup> *Concilium.* ] De rebus in hac Synodo gestis chronicon Cameracense libro 3. cap. 35. ista: *Sub his diebus, cum forte imperator Henricus in Aquisgrano palatio tam de ecclesiasticis quam & de secularibus tractaret, in ipsa interim ecclesia prouincialis Synodus ab episcopis celebrata est. Vbi siquidem inter archiepiscopum Coloniensem Piligrinum, & Durandum Leodiensem pontificem, altercatio non parua recrudit pro monasterio Burritho, quod vterque sue parochia subiicere contendebat. Dominus autem Gerardus episcopus, vt testimonio veritatis litem compeceret, viua voce increpuit, quod episcopi Leodienses quinque abbates illius monasterii sine vlla contradictione archiepiscopi consecrauerunt; imo & ipso imperatore rogante & Baldrico episcopo Leodiensi petente, in praesentia domini imperatoris in Aquisgrano ecclesia sancta Mariae praefati monasterii clericos ordinauit, ipsumque monasterium cum archiepiscopo Poppone Treuirensium, & Haimone Virdunensium, consecrauit. Eo ergo sibi videri rectius Leodiensi quam Colonienfi regimini subiicere. Quod ita quoque ceteris testificantibus, archiepiscopus praeter vllam synodalem reuerentiam ira commotus abiecit. Haec chronicon Cameracense.*

<sup>a</sup> CONCILIVM MOGVNTINVM

ANNO  
CHRISTII  
1024.

IN CAUSA OTTONIS COMITIS AB HANISTEIN congregatum anno Domini MXXIII. tempore Benedicti papæ VIII.

NOTA.

Causa, locus, & tempus.

<sup>a</sup> *Concilium.* ] De causa, loco & tempore huius Concilii Moguntiae celebrati in vita sancti Gothardi cap. 22. apud Surium ista leguntur: *Aribo archiepiscopus Moguntinus illo anno imperatorem ad pentecosten Moguntiam inuitauit, vbi etiam Concilium generale coegit, in quo multa collapsa correxit; praecipue vero Ottonem comitem ab Hanistein & Limingardam praeter fas sibi coharentes separare constituerat: quod tamen perficere non potuit, quandoquidem comes, partim imperatoris metu,*



ANNO CHRISTI 1013. partim episcopi commonitione, utcumque ad meliorem se recepit frugem, femina autem bannos vel proscriptiones negligens, ius ibi funditus perdidit, ut hodieque perspicitur potest.

Ad hoc Concilium etiam noster praesul & episcopi & imperatoris iussu euocatus, non contemnenda cleri & militum frequentia, quamuis inuitus & nolens, stipatus eo properabat, & in quodam qui vicinus est illi castello, ubi Dei gratia & electus & consecratus fuit, iter faciebat: ubi tum mulier quadam ab immundo vexata demone, a parentibus & propinquis per ecclesias ad sanctorum imploranda patrocina circumducebatur. Qui cum audirent novum illuc aduenire episcopum, obviam ei cum demoniaca femina fidenter processerunt, sanctae eius existimationis fama illecti. Impurus autem spiritus illorum acceleratione pauesfactus, per os feminae anxius cepit percontari vocibus, quonam perduceretur. Dicentibus illis, se iam in occursum Gothardi episcopi properare, horrifico mugitu & ululatu misere se opposuit, & ipsis etiam, a quibus traheretur, mirantibus & formidantibus reluctatus est, eiulans & vociferans Gothardum se nec audire nec videre posse. Sub hac colluctatione cum misera illa a fidelibus fide & spe, ut patuit, feruentibus traheretur, & spiritus nequam omni contentione obniteretur, tandem profligato illo, mulier liberata est: & ad virum Dei, sub quadam arbore refrigerii causa residentem, sana corde & corpore adducta est. Is vero cognitis iis quae facta fuerant, timore & gaudio compunctus, lacrymabundus gratias egit Deo, in faciem se prosternens. Ac deinceps femina manus imponens, ei bene precatus est, eamque in fide confirmatam, recte valentem, atque etiam gaudentem cum exultantibus amicis a se dimisit, caepoque perrexit itinere. Quotquot autem comitabantur eum, viso hoc miraculo, plus eum reuereri & amare ceperunt, utpote cuius tam praecleara apud Deum merita cognoscerent. At ille graueris eis interdixit ne cuiquam id indicarent; sed neque agra mulier, quae miraculum in se experta fuit, neque turba quae ei interfuerat, id reticendum putauit. Sed quia ex Ruperto abbate Tuitiensi colligitur expugnationem arcis Hamerstein factam esse anno praecedente, eamque praecessisse vexationem & anathematismum, effici omnino videtur Concilium aliquod generale Moguntiae vel alibi celebratum fuisse, quo spiritali gladio excommunicationis impurum nefariumque comitis coniugium & publicum hoc veriti matrimonii scandalum damnari meruerit. Vide Serarium libro 5, hist. Mogunt. in Erkenboldo & Aribone.

Sanctus Gothardus veniens ad Synodum in via curat demoniacam.

Quot Concilia Moguntina sub Benedicto habita fuerint.

VITA

ANNO CHRISTI 1014. IOANNIS PAPAE XVIII.

QVI PERPERAM XX. APPELLATVR.

IOANNES Gregorii comitis Tusculani filius, praedefuncti pontificis Benedicti frater germanus, potentia principum & largitione pecuniae sedem apostolicam inuaserat

Ioannes quando pontifex factus.